

imo addo etiam, si culpa sua incideret in eam perplexitatem, quia potuit prius doceri, et præveniri, et negligenter omisit, postea tamen si secundum præsentem dispositionem, et occasionem faciat, quod potest, non peccabit iterum, quia præterita negligentia non potest inducere necessitatem peccandi de novo, quia semper potest homo, et de præterito peccato dolere, et secundum præsentem statum prudenter operari, humano modo considerando gravitatem utriusque præcepti: et eligendo, quod magis conveniens, vel minus malum videtur.

4. *Secunda conclusio.*—Secundo certum est conscientiam practice certam, quamvis extrinsece dubia sit in aliquo principio speculativo, vel in cognitione alicujus rei, ex qua videtur pendere honestas actionis, nihilominus sufficere ad honeste operandum, dummodo vere sit certa et ex certis principiis elicita: ita omnes auctores citati, et colligitur ex cap. *Dominus*, de Secundis Nuptiis, et ex cap. *Inquisitionis*, de Sententia excommunicationis, et ex Augustino 20, contra Faustum, cap. 24, et habetur in cap. *Quid culpatur*, vigesimo tertio, quæstione prima, ubi Glossa refert alia jura, et in cap. *Quid ergo*, undecimo, quæst. 3. Ratio est, quia regula voluntatis humanæ est conscientia practica: ergo, si illa certa et vera, et necesse est, ut appetitus illi conformis sit rectus, potest autem esse certa non obstante dicto dubio speculativo, ut supra declaratum est, atque ratio hujus rei sumitur ex ipsa naturali hominis conditione, quia sæpe est illi impossibile judicare, quid in re verum sit, cum tamen illi moraliter necessarium sit nihilominus operari: ergo oportet ut saltem practice possit determinari.

5. *Quomodo non obstante dubio extrinseco possit formari conscientia certa?* — *Concinit auctor in tomo de Legibus, lib. 1, c. 9, n. 10.*—Difficultas est, quando, aut quomodo, non obstante hujusmodi dubio, possit homo formare hanc conscientiam certam, in hoc dubio: Mihi licitum est hic et nunc hoc facere: et ratio dubii esse potest, quia vera sæpe dicunt, in hoc dubio tutiorem partem esse eligendam: aliunde vero est durissimum, hominem semper ad hoc obligari, alioquin deberet semper vel jejuna, vel restituere, etc., quoties dubitat, an ad hoc teneatur, nam securior erit, si id faciat: unde alia jura dicunt: In dubiis meliorem esse conditionem possidentis, cap. *Cum sit*, de Regulis juris, in Sexto, c. ex *Litteris*, de Probationibus. Et tamen non semper jus possidentis est

tutius, nam qui dubitat de voto omisso, possidet suam libertatem, et tamen tutior erit, si illa privetur, et servet votum. Denique in hac re morali est infinita varietas, et interdum cum dubio aliquid licet, interdum non licet, ut si dubito de hac persona, an sit legitimus superior, licet illi non obedire: si autem certus sum esse mihi superiorem, et hic et nunc dubito, an mihi justè præcipiat, regulariter debeo illi obedire; qua igitur regula utendum erit, et una quidem generalis est, prius quam liceat cum dubio hoc operari oportere, ut tale dubium fiat involuntarium, et invincibile per sufficientem diligentiam ad expellendum illud, quia alias dubium non provenit ex rebus ipsis, sed ex voluntate hominis, et ita illi tribuetur, quidquid mali acciderit, et omne periculum ejus, tamen adhuc postquam dubium factum est invincibile, sufficienter est moralis ambiguitas posita.

6. Tertio igitur regula hæc generalis assignari posse videtur in unaquaque actione, quæ pendet ex hujusmodi dubitatione: id esse agendum, quod juxta materiæ exigentiam, et negotii qualitatem minora habet incommoda omnibus pensatis. Hoc inde patet, quia judicium practicum conscientiæ, ut supra dixi, prudentiale est, sed proprium prudentiæ principium est in singulis actionibus id esse agendum, quod minus habet incommodi, atque hoc modo hic etiam verum habet illud principium: In dubiis tutior pars est eligenda: applicare vero hanc regulam ad singulos actus munus est potius prudentiæ quam scientiæ, pendet enim ex singularibus contingentibus, quæ non cadunt sub scientiam: tamen ut magis in particulari ostendamus aliquam viam applicandi hanc regulam, distinguere possumus, duplex dubium: unum juris, ut, an hoc sit præceptum, necne: aliud facti, ut, an res sit mea, necne? et circa utrumque sunt pauca notanda.

7. *Dubium juris multipliciter contingere potest.* — Circa dubium juris est advertendum variis modis posse contingere; primo, quia simpliciter dubitatur de tota lege quoad exercitium: id est, an sit lata, necne. Et tunc generalis regula est non obligare: ratio peti potest ex illo principio, quod in dubiis melior est conditio possidentis; homo autem continet libertatem suam: vel certe ex illo, quod in materia notandum est, quod lex non obligat, nisi sit sufficienter promulgata: quamdiu autem rationabiliter dubitatur, an lata sit, non est sufficienter promulgata. Secundo vero quamvis constet legem esse latam, dubitari potest de

sensu ejus, et idem est dicendum per eandem rationem, nisi quod in eo casu ad expellendum dubium recurendum est ad superiorem, si facile fieri potest. Tertio cum constet de lege, et de sensu ejus, dubitari potest, an in hoc casu particulari obliget, et tunc generalis regula est, si nulla sit sufficiens ratio, probabilisque ad excusandum, tunc obediendum esse legi, quia ipsa, vel superior continet jus suum, quod maxime servare oportet cum ad commune bonum pertineat, de quo lege D. Thomam et Cajetanum supra, quæst. 97, art. 2, et 2, 2, quæst. 120, art. 1, et Soto, lib. 6, de Justitia, quæst. 6, art. 8, Navarrum, in simili cap. 12, *Manualis*, n. 55, Corduba, in Summa Hispan., quæst. 147. Dubitari potest quarto de obligatione legis propter aliam legem concurrentem, et in hoc servandum est, quod in prima conclusione hujus sectionis notavimus. Ultimo dubitari potest de jure, quoad specificationem, ut sic dicam, id est, an justum sit præceptum, quod dubium ex duplici capite oriri potest, primo ex defectu jurisdictionis, ut quando non dubitatur, quin actio præcepta sit honesta, sed an excedat potestatem superioris, et in tali dubio, etiam obediendum est legi, quia suppono esse certum hunc esse superiorem, atque ita possidere jus suum. Item, quia ad bonum commune hoc expedit, alioquin vix possent homines gubernare, lege Bonaventuram, in 2, dist. 39, art. 1, quæst. 3, Paludanum, quæst. 4, Adrianum, quodlibeto 2, quæst. 2, Angelum, et alios, verbo *Obedientia*, Soto, in Relectione de secreto, membro 3, quæst. 2. Aliud caput hujus dubitationis est ratione rei præceptæ, quia dubitatur, an liceat, vel non liceat, expediat, necne. Quod quidem potest contingere duobus modis, primo, quia ante latum præceptum jam erat illa dubitatio, ut quando in die jejunii ego dubito, an habeam sufficientem causam excusantem, et tunc non est dubium, quin possim ego, et debeam obedire accedente præcepto, non quia liceat mihi cum dubio operari accedente præcepto, sed quia jam tunc habeo sufficientem rationem ad deponendum dubium: et quotiescumque possum, debeo facere hoc propter præceptum. Ita Corduba, quæst. 7, et alii: aliquando ante præceptum superioris erat certum actionem non esse licitam: præcepit autem illum superior, et oritur dubium, an teneat obedire, et nonnulli censent tunc nec teneri, nec posse. Navarrus, cap. *Si quis autem*, n. 91, Corduba, quæst. 6, quia tunc conscientia est practice dubia: sentio tamen hanc sententiam non esse regulam gene-

ralem, sed pro qualitate materiæ prudenter pensandum esse, an actio talis sit ut non sit intrinsece mala, et ideo possit ratione præcepti supervenientis malitia ejus cessare, quæ revera esset, secluso præcepto, ita Paludanum, in 4, distinct. 38, quæst. 2, art. 3, Sylvester, verbo *Conscientia*, quæst. 4, Corduba, circa relectionem Soti, de Secreto, membr. 3, quæst. 2.

8. *Primum principium observandum pro regula juris, in dubiis melior est, etc.*—*Secundum principium.*—*Tertium principium.*—*Quartum principium.*— Circa dubium facti primo servanda est illa regula juris: *In dubiis melior est conditio possidentis*: quæ, cæteris paribus, verum habet in omni materia quoad hoc, quod nullus debet spoliari re sua, quam rationabiliter possidet propter solum dubium, sive debeat spoliari ad exercendum actum justitiæ, ut est restituere, sive ad actum religionis, ut est implere votum, seu ad alia similia: secus vero est quoad alios usus, quia non semper uti licet re sua cum dubio alicujus malitiæ, vel damni, juxta quam doctrinam explicanda sunt jura de conjugate dubitante, cap. *Inquisitionis*, de Sententia excommunicationis, cap. *Dominus*, de secundis Nuptiis. Secundo contingit occurrere jura, et quasi contrarias possessiones, ut quando reus dubitat, an judex legitime interroget, nam judex possidet jus interrogandi, et reus possidet vitam suam, vel bona, et jus tuendi illa, et tunc licet regulariter præferendum sit jus majus, quale est in proposito exemplo jus superioris; tamen etiam pensandum est damnum, quod aliunde sequi potest, tantum enim esse potest ut præferendum sit, ut recte Medina, 1, 2, q. 19, art. 6. Tertio. Ultra hæc in singulis muneribus, et officiis, et materiis consideranda sunt principia, quæ ad illas pertinent, ut judex in dubio debet mitiorem partem sequi, et absolvere potius, quam damnare: sic etiam dicunt jura judicandum esse innocentem, qui non probatur nocens, idemque est de nobilitate. Pro quo lege Covarruviam, in 4, decretal. 2, p. 2, c. 8, § 3, Franciscum Sarmiento, l. 3, Select. interpretationum, c. 1. Quarto in dubio facti interdum licet practice illo uti, solum quia non est aliud medium sufficiens ad expellendum illud, ut in casu cap. *Laudabilem*, de Frigidis et maleficiis, ubi triennale tempus conceditur, ut qui dubitat de validitate matrimonii, propter impedimentum frigiditatis, possit experimento cognoscere, an revera habilis sit: ex his ergo principiis facile, ut credo, erit in singulis materiis judicium ferre.

9. *Expositio alterius regulæ, seu axiomatis: In dubiis tutior pars, etc.* — Atque hinc etiam explicatum manet illud axioma: *in dubiis tutior pars est eligenda*. Nam si sit sermo de parte tuta in conscientia, intelligendum est, quando dubium est practicum, et ita comparatio est impropria: nam revera potius comparatur pars tuta: si vero sit sermo de parte tutiori quoad vitanda majora damna, vel incommoda, sic procedit regulariter juxta principia dicta, et sæpe potest esse præceptum justitiæ, aut charitatis, etiam juxta materiæ exigentiam: interdum vero esse poterit tantum consilium, ut Navarrus docet, in dicto cap. *Si quis autem*, ubi fuse de hac materia disputat.

## SECTIO VI.

*Quomodo sit utendum conscientia opinanti, seu probabiliter ad recte operandum.*

1. *Opinio, quod ad præsens spectat, quid sit?* — Opinio hæc differt a dubio, quod includit determinatum assensum alicujus partis, licet formidolosum, et in ea potest esse magna latitudo, nam interdum est temerarium seu improbabile judicium, interdum probabile, interdum probabiliter cæteris, de quibus videri possunt Corduba, lib. 1, quæst. 17, et lib. 2, quæst. 3, Navarrus, cap. 27, n. 289, et Summistæ, verbo *Opinio*, qui tradunt indicia ad discernendos gradus harum opinionum, quod magis spectat ad dialecticam. Nobis nunc satis est, illam existimari opinionem probabilem, quæ etiam nititur auctoritate aliqua digna fide (quæ in re morali multum habet ponderis) et non repugnat, aut veritatibus ab Ecclesia receptis, aut evidenti ratione: neque etiam temere contradicit communi, et receptæ doctrinæ doctorum: unde quo plus opinio participaverit utramque harum rationum, eo erit probabilior. Advertendum est, aliud esse opinionem esse probabilem, aliud tutiorem: nam primum illud dicitur in ordine ad veritatem magis, vel minus ostensam: hoc autem secundum videtur dicere ordinationem ad aliquem finem, seu majorem utilitatem ad illum, quomodo opinio, verbi gratia, quæ olim dicebat posse absolvi absentem in casu necessitatis revera minus probabilis etiam tunc erat, tamen ad juvandum proximum tutior erat.

2. *Præmittuntur tria omnino certa.* — *Primum.* — Primum igitur certum est ex dictis conscientiam intrinsece, et practice formidolosam non sufficere ad honestatem actionis: revocandam tamen semper esse ad conscientiam

practice certam, quod quomodo fieri possit supposita aliqua opinione probabiliter supra dictum est.

3. *Secundum.* — Secundo est certum, opinionem speculativam, quæ non attingit gradum probabilitatis, per se non sufficere ad formandam conscientiam certam, et rectam practice, quo sensu locutus est divus Thomas, quodlib. 8, art. 3, et Cajetanus, in Summa, verbo *Opinio*. Et ratio est clara, quia talis opinio non sufficenter determinat intellectum ad prudens judicium ferendum. Item exponit hominem magno periculo moralis deceptionis. Dico autem *per se*, quia ex ignorantia, vel aliqua perplexitate involuntaria poterit interdum talis cognitio sufficere, quia nulla est moralis via ad majorem obtinendam, et instat necessitas operandi, tunc autem talis cognitio dici poterit probabiliter respectu talis hominis, et talium circumstantiarum.

4. *Tertium.* — Tertio est certum, probabile judicium speculativum, quando in contrarium nihil certius, vel probabiliter occurrit, sufficere ad conscientiam practicam veram, et certam formandam. Patet ex illo principio, quod homo prudenter operatur juxta probabilem cognitionem, quando aliam meliorem consequi non potest. Tota ergo hujus materiæ difficultas consistit in quæstione comparata, estque multiplex, quia possunt inter se conferri opiniones æque probabiles, sed non æque tute, nam si in omnibus æquales sunt, libera est optio sine difficultate. Rursus possunt esse opiniones in utroque inæquales, ita tamen, ut minus probabilis sit tutior ad aliquem finem: aliquando vero, quæ probabilior est, potest etiam esse tutior. Denique potest comparari una probabilis, vel probabilior ad certam, interdum enim est certum in aliquo actu, vel omissione nullum esse peccatum, et tamen quod contrarium etiam liceat potest non esse certum, sed probabile, vel probabiliter, et in his omnibus non loquimur tantum in communi de opinionibus abstracte sumptis, sed etiam in particulari applicatis ad hanc personam, et cum his circumstantiis.

5. *Prima sententia.* — His suppositis variæ sunt sententiæ: prima absolute, et sine limitatione dicit licere semper uti opinione probabiliter, relicta etiam probabiliori, et qualibet alia via, etiam speculative certa, significat Medina 1, 2, quæst. 19, art. 6, et Lodovicus Lopez, 1 part. Summæ, cap. 120. Fundamentum esse potest, quia vel simpliciter licet, vel nunquam, quia eadem est semper ratio, dicere autem

nunquam licere est durissimum: ergo licet semper, quia illa est sufficiens humana cognitio, satisque conformis rectæ rationi. Item, quia non potest homo ponderare omnium opinionum fundamenta, ac denique, quia etiam in probabilioribus opinionibus potest timeri falsitas, quia, ut Aristoteles ait multa falsa sunt probabiliora veris.

6. *Secunda sententia.* — Secunda sententia est extreme contraria semper esse certum præferendum probabiliter, vel probabiliori, juxta illud principium juris: *Tene certum, et omite incertum*, et id quod probabiliter est, minus probabiliter. Ita Conradus 7, de Contract., quæst. ult., Adrianus, quodlib. 2, et Antoninus, 2 part., tit. 5, cap. 10, § 2, Soto in 4, dist. 18, quæst. 2, art. 5, in fine. Ratio esse potest, quia si homo debet ferre judicium inter res probabiles, necessario judicat verum, quod judicat probabiliter: ergo agere contra tale judicium esset agere contra prudentiam et contra conscientiam. Item, quia sic operando exponit se quis majori periculo operandi malum: unde confirmatur ex illo principio: *In dubiis tutius est eligendum*; sed opinio probabilior est tutior in conscientia, licet ad alios fines non sit utilior.

7. *Tertia sententia.* — Tertia sententia esse potest, tutiorem opinionem esse sequendam, sive probabilis sit, sive probabilior, licet in hoc possit esse diversitas juxta varias comparationes supra positas.

8. *Prima assertio.* — Mihi videtur distinctione utendum: interdum enim opiniones versantur circa jus ipsum, scilicet, an hoc sit prohibitum, vel præceptum, necne? interdum vero circa res ipsas, ut sunt opiniones de sacramentis, ut an hoc modo facta teneant, necne, et in medicina, an hoc pharmacum sit utile, vel perniciosum. In jure civili, an iste sit hæres, vel non, etc. Dicendum in primo quotiescumque est opinio probabilis hanc actionem non esse malam, vel prohibitam, vel præceptam, potest aliquis formare conscientiam certam, vel practicam conformem tali opinioni præter auctores citatos. Favent huic conclusioni multa, quæ adducit Navarrus, dicto cap. *Si quis autem*, a n. 48, et in Summa, c. 27, n. 9, Sylvester, Angelus, verbo *Opinio*, significat Antoninus, 1 part., tit. 3, cap. 10. Ratio est, quia excedit ordinarium modum humanæ facultatis majorem cognitionem obtinere in singulis actionibus. Item, quia esset intolerabile onus obligare omnes homines ad conferendas singulas opiniones: præterea existimo illam rationem suf-

ficientem: quia quamdiu est judicium probabile, quod nulla sit lex prohibens, vel præcipiens actionem, talis lex non est sufficienter proposita, vel promulgata homini: unde cum obligatio legis sit ex se onerosa, et quodammodo odiosa, non urget, donec certius de illa constet, neque contra hoc urget aliqua ratio, quia tunc revera non est contraria pars tutior in ordine ad conscientiam, neque ibi est aliquod dubium practicum, nec periculum. Intelligenda est autem hæc conclusio præcise ex vi hujus capituli, et ex directa obligatione illius legis, de qua versantur opiniones, nam fortasse aliunde ex fine intrinseco, vel ex alia obligatione, quasi reflexa poterit aliquis interdum teneri ad operandum, vel non operandum juxta aliquam probabilem opinionem, ut supra explicavi.

9. *Consecutaria ex prima assertione.* — Et ex hac conclusione primo definitur illa quæstio, an debeat confessor conformari opinioni penitentis si probabilis est. Dicendum est enim debere, quia jam penitens est bene dispositus, et tota conscientia operatur, ut latius in materia de confessione. Secundo definitur altera quæstio: utrum liceat consulenti sequi opinionem probabilem, etiam ea relicta, quam existimat probabilior, Scotus enim supra negare videtur: dico tamen posse id fieri, dummodo qui consulit veritatem in suis responsis retineat, quia non dicit simpliciter id sibi probabiliter videri, aut speculative verum, sed solum posse id sine peccato fieri ex probabiliter sententia aliorum: an vero expediat ita consulere, ad prudentiam spectat. Secus vero est in docendo, nam tenetur præceptor sanior, et veriore doctrinam docere, in quo potest per gradus peccare, juxta materiæ qualitatem: recte autem faciunt, qui licet sentiant moralem aliquam opinionem esse probabilior, simul docent, quando contraria est probabilis, et tuta in praxi, et ita obtinuit usus, qui multum confirmat conclusionem positam. Tandem ex ea infertur non oportere semper tutiorem illam, de qua certus quispiam est tam practice, quam speculative, in ea nullum esse peccatum, quia esset intolerabile, et præter humanam facultatem, alioqui quoties tantum est probabilis opinio, vel probabilior, quam non sit obligatio jejunandi, vel faciendi hunc contractum, deberet homo jejunare vel abstinere ab illo contractu, et sic de aliis, quia certissimum est in hoc nullum esse peccatum, et aliud solum est probabile, consequens est aperte falsum: ergo etiam antecedens.

10. *Secunda assertio.* — Dicendum secundo,